



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De sacerdote idiota, qui simplicitate verborum suorum coram innocencio
Papa ecclesiam obtinuit, cap. 29.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

Iudicantes verò eandem suspensionem friuolam, vnam nimirum Præpositum elegerunt: Henricus autem, vt turbatos amplius turbaret, solus alium Præpositum elegit, cum quo & pro quo fratrum pacem litibus & damnis non modicum turbauit. Iusto Dei iudicio, eodem anno primus omnium defunctus est, & aperto ore sepultus, obtinuitque præbendam illius adolescens consilio eius intrusus. Audiui veraciter, nulla arte os eius potuisse claudi, vt omnibus patefceret, quanta culpa esset, in causis vendere linguam. APOLLONIVS: Rogo vt vitio duplicitatis postposito, ad simplicitatē sermo redeat, quæ in causis, vt prædictum est, etiam linguas disertas enervat. CÆSARIVS: Hoc plenius sequentis capituli declarabit oratio.

CAPVT XXIX.

Dominus Innocentius Papa vir literatissimus, & sermonis disertus, sicut mihi retulit Cæsarius monachus noster, Abbas quandoque Prumiensis, qui præsens tunc erat, ita in cuiusdam sacerdotis simplici sermone punctus est, vt ecclesiam, quã propter illiteraturam perdere meritò debuerat, per eam obtineret. Cui cum quidam clericus ecclesiam suam nescio quo pacto abstulisset, & ille appellatus ab eo coram iam dicto Innocentio comparuisset, verbis que compositis & sententiis ponderosis pro se allegasset, simplex ille sacerdos sermonem eius interrumpens ait: Sancte pater, ipse non dicit verum, magnam enim mihi fecit iniuriam. Considerans illum Dominus Papa simplicem hominem, respondit: Enarra mihi causam tuam. Et ille: Ego nescio latinè loqui: Loquere, inquit, vt nosti, bene te intelligam. Tunc ille satis timidè satisque corruptè his verbis usus est: Sancte pater, iste clericus multas habet ecclesias, & ego tantum habui vnã, & eandem mihi rapuit, modò habet vnã cum aliis: hoc tibi conqueror. Cui Papa compassus, ait eius aduersario: Quid ad hæc loqueris frater? Tua auaritia nõ sinebat te pluribus esse contentum ecclesiis, quin isti pauperi etiã suam auferres. Tã simplicis naturæ est, vt si causam habuisset iniustã,

*Simpli-
citas vna
cit elo-
quentiã.*

nun-

nunquam venisset ad curiam Romanam: iustitia eius
 daciā illi contulit. Præcipio tibi, ne eum in ecclesia
 sua de cætero inquietes, & ego de ecclesijs tuis dispē-
 fabo. Quo audito timēs cessit, quia simplicitas pro-
 eius aduersario pugnauit. APOLLONIVS: Cū simpli-
 cium verba & opera seculi principes tantum venerē-
 tur, puto quōd in illorum oratione Deus plurimum
 iocunderetur. CÆSARIVS: Hoc tibi simplex Paulus o-
 stendit, sed ego recentioribus tibi pandam exemplis.

Lib. 1. vi

2a SS. Pa

1787, ca.

32.

Simplici-

tatis ex-

empla.

** aliās*

Hemmē-

vado.

CAPVT XXX.

IN* Claustro Conuersus quidam simplex satis
 grauitè tentabatur, qui stans in oratione his
 verbis vsus est: Verè Domine, si non liberaueris
 me de hac tentatione, ego matri tuæ conquerar. Pius
 Dominus, magister simplicitatis & amator humilita-
 tis, ac si timeret apud matrem accusari, Conuē-
 querimoniam præuenit, tentationem eius mox mi-
 tigans. Alius quidam Conuersus post tergum eius
 stans, cū hanc orationem audisset, subrisit, alijsque
 ad ædificationem recitauit. APOLLONIVS: Quem nō
 ædificet tanta Christi humilitas? CÆSARIVS: Dicam
 tibi alias simpliciū orationes, in quibus adhuc am-
 pliùs iocunderis.

CAPVT XXXI.

MAgister Ioannes, nūc Abbas sancti Trudo-
 nis, cum tempore quodam in Saxonia in-
 clusam sibi familiarem visitaret, & illa fle-
 ret, ait: Quid habes mulier? quare lacrymaris? Respō-
 dente illa: Ego perdidit Dominum meum, deuotionis
 feruorem notans. Abbas sciens illam feminā esse san-
 ctam, ioculariter subiunxit: Circue angulos cellulæ
 tuæ, & dic: Domine vbi es? responde mihi, forsitan
 in aliquo foramine muri reperies illum. Quæ verba
 simplicia simpliciter intelligens, post discessum illius,
 parietes cellulæ circumiens, & sicut edocta fuerat, di-
 lectum inuocans, quem quæsiuit, inuenit, & quod
 perdidit, recepit. Sape Deus gratiam suam substra-
 hit, vt auidius quærat, & inuenta custodiat. Post
 annos aliquot cū idem Ioannes eam visitaret, & de
 statu